

coacti fuerant Patres præcipuam copiarum partem ex provincia revocare: atque ita, quum ob domesticum bellum obsidione levare nequivissent, Spalatum, Sicum, Tragurium, ac pleraque alia minora oppida, quæ iis circumjecta erant, ad Regem defecere. Enona, cui Joannes Justinianus præsidio erat, impigre defensa est; & quod plus fuit, ne fames quidem ferocissimos Veneti hominis spiritus frangere aliquo modo potuit, ut deditionem ullam faceret. Tanta dicitur rerum inopia Enonæ eo bello laboratum, ut a nullo obscæno cibo miles abstinerit. Jadera quoque ab hoste furtim inita est, creditumque vulgo, Carrarii opera id factum: arx tamen a Venetis fortiter retenta. Desperatis itaque Dalmatiæ rebus, Taurisinisque jam dudum periclitantibus, placuit iterum ad Regem legatos mitti, qui pacem cum eo, si non quibus vellent, saltem quibus possent, conditionibus componerent. Missi Petrus Trivisanus, Joannes Gradonicus, & Bonitendus scriba. Pax his conditionibus impetrata est, ut quicquid a Fanatico sinu Dyrrachium usque Veneti ad eam diem possiderent, Lodovicus Rex haberet, cederentque Veneti Dalmatiæ possessione: reliquum vero terrarum, quod circa sinum quodque citra esset, dimidium Veneti retinerent. Rex ipse restitueret, quicquid in Histria, Taurisino & Cetenensi agro Venetis ademisset: pollicitus ad hæc, Dalmatici nominis nullum se passurum piraticam exercere: externis latrociniiis & portus & insulas clausurum: daturumque operam, ut tam tuta Venetis omnia circa Dalmatiam futura essent, quam antea fuissent. Desierunt Veneti Principes, ex hac pace, magis necessaria quam honesta, Dalmatiæ titulos usurpare. Deducti ex ipsa provinciâ magistratus: quibus negatum est res suas inde asportare, quum alioquin in sancienda pace expressum esset, ut illis, & quisquis Veneti nominis in Dalmatia tunc ageret, fas esset omnia quæ in provincia haberent, in naves imponere. Constititque ex hoc ipso, pacem a barbaro violatam, quia non præstitisset, quæ in conditionibus erant expressa. Sed Veneti injuriam tam iniquo Reipublicæ tempore dissimulan-

1357

*Omne Dalmaticum nomen a Venetis alienatum in Lodovici Regis ditio. nem concessit.*

*Pax cum Lodovico.*